DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
DE
HYDROTHORACE
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM,
PRO
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
LAUREA RITE OBTINENDA
IN
CELEBERRIMA ACADEMIA JOSEPHINA
publicae disquisitioni submittit

Joannes Krautschneider,
Moravus Iglaviensis
Medicus castrensis.



In Theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die mensis Maji 1834.

Vindobonae,
Typis Francisci Ludwig.

A M I C O

E T

BENEFACTORI AESTUMATISSIMO

DOMINO DOMINO

FRANCISCO KANN

CIVI ZAGRABIAE PERMERITO.

VIRO

SCIENTIA, HUMANITATE, CANDORE,

BENEVOLENTIA INSIGNI

SUMMO BONARUM LITTERARUM

AESTUMATORI FAUTORI OPTIMO

PRIMOS HOSCE STUDII ACADEMICI FRUCTUS

IN

VENERATIONIS CULTUSQUE PERENNIS

TESTIMONIUM

SACROS ESSE VULT

Auctor.

Praefatio.

Tentaminibus rigerosis omnibus exantlatis, nihil restat, nisi quidquam publicae disquisitioni tradere. Sic est lex, sic summa voluntas.

Hisce itaque satisfacturus, et ego pennae manum adfero, circumspiciens in campo Medicinae et Chirurgiae materia quaedam sese mihi obtulit, nimirum depictio hydrothoracis.

Saepius huncce morbum occasionem observandi habui, et haec est ratio, cur hunc mihi elegerim.

A multis et praestantissimis vero hic morbus depictus est, hinc non multum,

quod conscribo, novi erit; et si ideas novas inveniat lector benevolus non sibi arridentes, memor sit, auctorum esse medicum incipientem. Amicis vero atque Collegis meis sit hoc opusculum horarum felicium ac periculosarum perpessarum reminiscentiae medium.

A u c t o r.

De hydrothorace.

Sub hydrothorace intelligimus illum morbum sine aut cum accidentali febri stipatum, in quo accumulatio seri morbosa in thoracis cavo locum habet.

Causa hujus morbi proxima est aequilibrium inter organa exhalantia et absorbentia turbatum, ita, ut, quae sub statu normali vaporis forma secernebantur, in statu gutto-fluido contingant; ideo palam fit, hanc accumulationem seri morbosam contingere in organis solummodo istis, ubi et in statu normali quid in vaporis forma secernitur; hinc sedes hujus accumulationis sunt membranae serosae et textus cellulosus.

Ex anatomia vero notum est, in cavo thoracis membranas serosas pulmones et cor circumvelare; hinc, si in istis aequilibrium inter organa exhalantia et absorbentia intrat, accumulatio seri morbosa contingere potest. Ex alia parte vero in pulmonibus sicuti in omnibus

organis textus cellulosus adest, in quo etiam haec morbi forma sese manifestare potest.

Ideo quoad sedem hujus morbi quatuor dantur species, nimirum:

1. Accumulatio seri inter pleuram et pulmones in uno alterove latere (nam sicuti inflammatio pulmonis saepe unilateralis est, sic et hic morbus saepe in uno solummodo latere observatur), aut in interstitio mediastino (hydrops pectoris mediastini).

2. Accumulatio locum habet inter pleuram et musculos intercostales, in saccis propriis aut hydatidis contenta (hydrops pectoris saccatus).

3. Seri accumulatio contingit in textu celluloso substantiae pulmonum (oedema aut hydrops pulmonum), vel

4. Observatur inter pericardium et cor (hydrops pericardii, hydropericardia).

Quamquam hic morbus saepius occurat, attamen medicum, si non ex pleuritide aut peripneumonia exortus esset, facile fallit.

Symptomatologia.

Symptomata, quibus hic morbus incipit, et quae se sub decursu associant, sunt: Aeger inamoenum in pectore sensum habet, thorax ex utrisque partibus ipsi angi videtur, hinc fit respiratio, praecipue inspiratio difficilior, ab initio quidem sub motu majori, aut in ascendendo scalas, postea vero vel sine motu. Ab initio quidem aeger tergo incumbere valet, sed gravitatem in pectore sentit, inspiratio sub hac situatione fit difficilor, quae omnia mox ita augentur, praesertim si aer humidus friget, ut aeger solummodo erecto pectore; demum tantum semisedendo in lecto versari possit. Sub somno aeger tristibus vexatur somniis, saepe cito evigilatur. Hisce accedit tussis ab initio rara sine sputis, respiratio sub tussi difficilior fit, ita, ut tussim timeant; postea frequentior cum sputis mucosis, aquosis, saepe pituitosis, sic dictis vitreis. Ab initio solummodo tarsi palpebrarum rubentur et tumescunt, mox vero haec intumescentia palpebras ipsas, imo totam accupat faciem, quae lurida est, et livescit in regione labiorum.

Intumescentia carpi manus aut pedum non semper adest, et cum levamine in pectore intrat. Symptoma vero fidelissimum est urina

parca; nam semper aeger minus mingit quam bibit. Urina ipsa colore saturata est, et si majore secedit quantitate, levamen in pectore intrat. Aeger de siccitate oris queritur, de siti non fallenda, quo magis vero bibit, eo magis symptomata prius enumerata augentur, si non sunt talia remedia, quae urinam majori pellant quantitate. Pulsus sub toto decursu variabilis, mox magnus, durus, mox contractus, mox mollis, sed semper fortis, videtur, quod ex suppressa respiratione fluit. Pectus, si secundum Auenbruggeri methodum exploratur, cavum resonat tonum, qui quoque cum steti-scopo proprius adparet. Nonnunquam undulatio per oppositas manus sub motu pectoris sentitur.

Enumeratis itaque symptomatibus hydrothoracis in genere nil restat, nisi symptomata, quibus singulae differunt ejus species, enumerare.

Si hydrothorax solummodo in singulis thoracis partibus locum habet, aeger in parte adfecta incumbere valet; si vero in sana incumbit parte, oppressio augetur. Si seri accumulatio in utrisque est cavis, aeger solummodo errecto pectore, aut semisedendo versari potest.

Si accumulatio seri in mediastino locum habet, aeger sub sterno oppressionis sensum

animadvertitur, ubi non raro et dolores sub motu variabiles persentit.

In hydrothorace saccato non raro intumescentia partis adfectae adest.

Hydropericardia multis stipatur symptomatibus pathognomicis, attamen, quum saepius cum hydrothorace mediastini conjuncta est, imago illius modo magis modo minus complicatur, ita quidem, ut non raro casus contingant, ubi difficillime cognoscatur.

Symptomata, quae, si hydropericardia sola intrat, adesse solent, sunt: Sensatio anxietatis propria et compressionis in regione cordis, aegro cor quasi fluido innatans videtur, adest palpitatio cordis, quae apposita manu facile sentitur, nonnunquam ab aegro imo a circumstantibus auditur. Aeger dextro latere incumbere, nisi cum summo anxietatis sensu, impotens est. His mox accedunt animi deliquia et summum suffocationis periculum: non raro accedit nausea, vomituritio, imo vomitus mucosus. Tussis est rara, sicca, facies intumescit sub paroxismo suffocationis livescit. Pulsus est valde variabilis, mox fortis et durus, mox debilis et mollis et vacuus nonnunquam intermittens.

Si hydropericardia conjuncta est cum hydrothorace mediastini, quod saepe fit, non ex causa idiopathica, sed ex sympathica, quum pleura utraque cum pericardia quasi conjunctae sint, symptemata utriusque status complicata adparent. Urina parca, oppressio sub sterno, anxietas summa, palpitatio cordis, animi deliquia, impotentia in latere dextro et in tergo incumbere, cum pulsus qualitate et rithmo mutata, hic quam maxime ducentia symptomata sunt.

Haec vero symptomata non semper ab initio eodem gradu ac vehementia adsunt, sed sub decursu morbi gradatim augentur. Sic respiratio semper fit magis citata, sublimior et magis anxia, paroxismi suffocationis saepius per diem perstant, praecipue ante mediam noctem intrant, versus diem mitigantur, et nova vehementia revertantur, intervalla inter istos paroxismos semper fiunt breviora, ita ut sub valdopere adaucto morbi stadio, quasi unus paroxismus videretur; in pulmonibus status insimul pituitosus intrat, hinc respiratio stertorosa et sibilans fit. Oppressio in pectore eximia est, aeger summa cum anxietata in lecto sedens respirat, intumescentia extremitatum cum marcore ceterarum partium adgreditur, febris sese associat hectica, sudores et diar-

rhoeae colliquativae, deliria, convulsiones, animi deliquia, stupor, qua mortis indicia, scenam claudunt.

Differentia ab aliis morbis simillimae imaginis.

Imaginem fere aequalem prae se ferunt et asthma, tubercula pulmonum, pericarditis serpens, et aneurisma aortae.

Quamquam difficile sit, differentias inter illos enumerare, tamen nonnullas exponere conabor, quod quidem solummodo paucis verbis exprimam, quum omnibus symptomata horum singulorum morborum nota esse propono.

Est enim asthma morbus systematis nervosi, hinc, uti quilibet morbus systematis illius, certis tenetur periodis, haec conjuncta urinae quantitate fere normali, perseverentia in eodem gradu, secessa majori urinae quantitate, et causae praegressae, medicum ad distinctionem ab hydrothorace ducent.

Tubercula, oppressionem in pectore, respirationem anxiam, tussim siccam et sic porro qua symptomata praeferentia, facillime cum hydrothorace confunduntur, praecipue cum per saepe hujus causa sint; tamen sonus proprius sub exploratione pectoris secundum Au-

enbruggeri methodum, urinae quantitatis vix memorabilis mutatio, et non illa certa relatio inter exacerbationem et mitigationem morbi et urinae quantitatem, in hoc casu medico qua sidera ducentia adparent.

In ceteris morbis solummodo urinae quantitas vix mutata, et proprii in corde residentis sensus, ac si cor comprimatur vel fluido innatet, absentia, quidquam ad stabiliendam diagnosim conferet.

A e t i o l o g i a.

Jam prius innui, causam hujus morbi proximam esse aequilibrium inter organa exhalantia et absorbentia turbatum, quaecumque ita in corpus humanum influunt, quo aut exhalatio augetur aut absorbtio minuitur, causae excitantes hujus morbi sunt.

Ad causas prioris notae pertinent: vita generosior in victu et potulentis praeprimis spirituosis et valde conditis. Suppressio transpirationis cutis vel secretionum naturalium; plethora aut universalis aut praecipue pulmonum congestiones activae et passivae ad illos; metastases ex cute ad pulmones; inflammationes cerebri, pleuritis, peripneumonia, peri-

carditis et contagia sui generis, uti contagium scarlatinae et morbillorum. Huc pertinent animi pathemata excitantia.

Ad causas ulterioris notae omnes illi influxus pertinent, per quos vita debilitatur, chymificatio et chylificatio pessumdatur, et sanguis magis serosa praeparatur, uti: aer humidus frigidiusculus, defectus victus aut iste depravatus, animi pathemata deprimentia, reconvalescentia retardata, deperditio sanguinis cito aut diutius perstans, vitia organica praeprimis infarctus organorum abdominalium et sic porro.

Exitus.

Transit hydrothorax

1. In sanitatem, si aequilibrium turbatum solvitur, secreta absorbentur, et per urinam et transpirationem cutis ex organismi sphaera evehuntur, praecipue si adfectio non diu durat, individuum juvenile et secus robustum morbus non complicatus est.
2. In alios morbos, praeprimis in febrim hecticam.
3. In mortem per oppressionem pulmonum ex colluvie congesta et sic paralysi pul-

monum exorta; aut per congestionem passivam ad cerebrum et exinde causatam apoplexiam; aut per febrim hecticam, quae sese, si morbus diu durat, et praecipue si vitia organica adsunt, morbo associat; idque eo magis evenit, quo magis individuum jam senescit, quo magis jam exhaustum est, et si complicationes morbi adsunt.

Divisio hydrothoracis secundum decursum.

Juxta decursum hydrothorax dupplicis sese manifestat generis, nonnunquam enim febri stipatur et rapide decurrit, nonnunquam sine febri lente incedit. In priori casu hydrothorax acutus, in secundo chronicus vocatur.

Si hydrothorax acutus est, haec acumulatio seri semper qua sequela inflammationis observatur, praeprimis pleurae, quae sub hoc processu morboso plus quam fas est, vaporis serosi secernit, qui vapores quasi maximum suae vis expansivae transgredientes in statum gutto-fluidum transeunt. Est itaque, hic morbus sub hoc respectu qua crisis erronea consideranda. Haec hydrothoracis species vero facilius a medico cognoscitur, et facilius quoque sanatur.

Hydrothorax chronicus difficilius cognoscitur, quum lente incipiat. Hujus status causae omnes illae sunt, de quibus prius vim absorbendi mentionem feci. Inter omnes vero causas frequentissimae sunt vitia organica, uti sunt: aneurisma aortae, permeatio fossae semiovalis in sepalo cordis, tubercula imo induratio pulmonum, vomicae et sic porro; hinc etiam omnibus patebit, cur hydrothorax chronicus ab omnibus fere medicis, paucis exceptis casibus, qua insanabilis consideretur. Impotentia nimirum haec vitia organica corrigenda adhuc hoc quoque accedit, quod saepe saepius ob lentem decursum, et ob absentiam symptomatum clamantium praetervideatur.

P r o g n o s i s.

Uti in omnibus morbis, sic etiam in hydrothorace prognosis a variis dependet conditionibus.

Hoc itaque in casu primo respicienda venit aetas, sic ut in aetate juvenili hydrothorax ceteris paribus laetiorem admittit prognosim, quippe nimirum vis vitalis in individuo juvenili adhuc viget, facile ad reactionem excitatur, et resorbtio, qua sola morbus sanari potest, huicce aetati magis propria est.

Sic quoque prognosis dependet ab sexu, constitutione aegri (constitutio lymphatica) temperamento, vivendi ratione (an spirituosis deditus sit potulentis), causis excitantibus, et respectu illarum praecipue an notae sint nec ne?

Hinc hydrothorax laetiorem admittit prognosim, si ex inflammatione exortus est, quippe tunc quasi qua crisis erronea inflammationis, qua exitus illius considerandus est morbus, et hinc nota causa, facile ad illam removendam agi potest. Difficilius hoc contingit in hydrothorace sic dicto chronico, ubi saepe ne umbra quidem causae excitantis inveniri potest, et ubi medicus symptomatice agere cogitur. Sed viget atque vigebit lex universalis, etiam in medendis morbis valens: Tolle causam et tolles effectum. Ex causarum legione solummodo unam afferam, quae prognosim valdopere turbat, est vero haec metastasis ex scarlatina. Non raro fit, quod ex scarlatina retrograda hydrothorax eveniat, et ad stabiliendam opinionem nihil adferre valeo, nisi quod ex experientia notum sit, tunc vitam aegri semper periclitari.

Dependet porro prognosis a duratione morbi, quo prius medicus in auxilium vocatur, eo laetior contingit prognosis; nam quo diutius hydrothorax perstat, eo majores des-

organisationes in pulmonibus causat, quae saepe saepius etiam sublato hydrothorace non tolli possunt.

Prognosis porro a complicatione dependet, et inter omnes complicationes illa cum arthritide maxime timetur. Nam arthritidi proprium esse videtur, ubicumque materiam organicam occupet, ibi, praecipue si sub inflammationis forma incedit, crises erroneas, praeprimis exudationes formare. Hoc praecipue de pleuritide arthritica valet. Non minus vero morbus scrophulosus praecipue pulmonum prognosin turbat.

Consideranda quoque ad stabiliendam prognosin valet comitatio. Intelligimus vero sub comitatione passionem organi cujusdam, quae non jam ex morbo ipso fluit. Potest esse conjuncta cum ascitite, cum obstructione atque infarctibus hepatis et lienis praeprimis in individuis saepius febres intermittentes perpessis; in infantibus, licet raro eveniat, cum hydrocephalo acuto et chronico, saepissime vero cum statu pituitoso pulmonum, quem casum saepissime in senibus vidi. His omnibus ad morbum tam gravem accedentibus prognosim valdopere turbari, neminem fugiet. Ex omnibus vero nil medicum magis vexabit, quam status pituitosus pulmonum inveteratus; nam

hoc morbo accedente aeger, qui jam secus difficile respirat, sub omni tussis nisu suffocationis timore afficitur, pulmones in et externe mole morbosa obruuntur, sanguis in mixtione sua aberrat, et frequentiori tussi pulmones irritantur, imo saepe flamma clandestine urente turbantur, quod vero medicum facile fugit.

Prognosis in illo morbo, sicuti in qualibet seri accumulatione in organismi cavo exinde minus laeta, quia omnia remedia diuretica, a quibus solis spes exspectanda, tam fallacia sunt, ut non unus existat medicorum, qui confirmare posset, hoc illudve remedium mere esse diureticum.

Si vero remedia adhibita exoptatum exserunt effectum, si causa cognita, si urina magna quantitate secedit, si cutis leniter transpirat, si morbus simplex est, individuum adhuc juvenile robustum, si paroxismi rariores fiunt, et vires vitales semper sufficientes manent, tunc prognosis laetior, attamen bene notandum, hunc morbum semper ad periculosos pertinere.

Tristissima denique prognosis locum habet, si hydrothorax ex desorganisatione i. e. ex vitio organico causatur, quum ars hoc in casu aut nihil, aut saltem paululum solummodo praestare valet.

Therapia.

Principia therapiae consistunt in sequenti axiomate:

Tolle causam,

Quum vero jam ab initio mentionem feci, causam hujus morbi aut in exhalatione justo majori, aut in resorptione justo minori latere, hinc opus medici in quolibet casu erit, juxta morbi individualitatem aut exhalationem minuere, aut resorptionem fovere. His vero dictis non excluditur respectus ad causas excitantes, imo solummodo per illarum respectum causa proxima est removenda.

Praeprimis autem respiciendum venit, an hydrothorax sit acutus, an chronicus.

Acutus semper fovetur inflammatione pleurae saepe tam clandestine saeviente, ut medicum fugiat, dolores vero nonnunquam lancinantes sub motu, oppressio sub respiratione, tussicula omnibus remediis excitantibus adaucta, pulsus frequentior, fortis et duriusculus indicia hujus inflammationis sunt characteristica.

Si itaque talis status adest, si inflammatio pleurae licet chronica et solummodo minoris momenti videtur, venaesectio, sed cauta

manu instituta saepe plurima praestitit. In re dubia hirudines aut cucurbitae cruentae ad pectus, aut ut nonnulli praeferunt, juxta decursum spinae vertebralis, ut his systema nervosum eo profundius adgrediamur, et insimul derivetur et sanguis depleatur. Si inflammatio adhuc perstans in exsudationem transire conatur, quod ex cognitis symptomatibus intelligi potest, tunc nullum remedium praestantius calomeli putatur, quod in conjunctione cum pauxillo nitri praestantissimum saepe effectum exserit.

Ceterum et remedia emollientia et antiphlogistica indicata sunt, conjuncta cum leniter diuresim moventibus. Ad haec remedia blandiora pertinent: Althaea, gramen, nitrum, liquor terrae foliata tartari, cremor tartari, cali carbonicum cum succo citri, acidum tartaricum, acida mineralia diluta, tamarindi. Aeger abstineat ab omnibus remediis stimulantibus, uti vinosis et spirituosis, observet diaetam statui subinflammatorio conguam; id solummodo bene notandum, quod sub his conditionibus cataplasmata emollientia aegre ferantur, forsan quod illis respiratio difficilius paretur. Sinapismi vero saepius per diem appositi, et in loco apposito, donec dolor eveniat, quin rubor efficiatur, imo vesi-

cantia ipsa ad pectus sive prius in remotis adhibita locis, praestantissimos saepe exerere solebant effectus, et non raro salutem aegris ferebant.

Si vero hydrothorax est magis chronicus, si causa cognita est, medicus secundum sequentia tractet axiomata:

1. Respiciat statum virium vitalium.
2. Symptomata praegressa et praesentia rite dignetur.

In explorando virium vitalium statu non fallatur medicus pulsu sat forti et duriusculo videnti, nam hoc facile ex turbata circulatione in pulmonibus explicandum est.

Si itaque ex omnibus ellucet symptomatibus, virium vitalium statum esse sufficientem, solummodo methodus magis exspectativa in usum trahitur, porrigendis solummodo illis remediis, quae leniter in diuresim agunt, si quidem natura per istud atrium morbum exterminare cupit. Nam sicuti in quolibet morbo sic quoque in hydrothorace tractando, medicus observet, quo natura tentet. Tria vero atria sunt, per quae natura morbum finire conatur, nimirum per systema uropoëticum, per cutem et per alvum. Itaque medicus, inscius, quanam via natura tentet, talia reme-

dia adhibeat, et per quae maximum observat effectum salutarem, in istis perseveret. Hinc in tali casu primarium erit, vias primarias purgare, ut membranae mucosae intestinorum aditu faciliores reddantur, et inter omnia effectum efficacissimum vidi ex sequenti formula:

Rp. Decoct. rad. Graminis unc. unam
coq. s. aq. font. per $\frac{1}{4}$ hor. colat. unc. sex
adde.
Infus. Sennae c. Manna unc. duas
Liquov. terrae foliat. Tartari drach. tres
Oxymelis Squillit. unc. semis
D. Sig. Alle 2 Stunden 2 Esslöffl voll zu nehmen.

Hoc infusum Sennae cum Manna miro modo in hepar agit, ubique secretionem uberiorem efficit, hinc alvum ciet. Liquor terrae foliatae Tartari vero blandissimo modo in systema uropoëticum agit, et non raro secretionem urinae uberrimam provocat.

Hoc remedio per tres aut quatuor repetito dies, si effectus exoptatus non efficiatur, medicus ad alia in hydrope laudata remedia transeat.

Si itaque character morbi est magis torpidus, squilla in pulvere in conjunctione cum digitali mira praestitere, et quidem:

Rp. Pulveris Squillae maritimae grana sex
— foliorum Digitalis purpur. grana duo
Sacchari albi drachmam
Misc. exactissimae et divide in dos. aequales Nro. sex
D. S. drey Mahl des Tages 1 Pulver zu nehmen.

Insuper ononis spinosa; ligusticum levisticum; baccae juniperi; petroselinum in infuso pro potu; squilla; colchicum autumnale, et quidem tinctura seminum, succus recentis radicis ejusque tinctura, nec non aqua florum colchici; radix polygalae Senegae; acida mineralia dulcificata; emulsio millepedum; et novissimis temporibus herba ballota lanata, de qua vero ipse, licet saepius istius virtutem observare occasionem habuerim, nihil praestantis vidi. Mercurialia et antimonialia suis fota indicationibus, praeprimis kermes mineralis et sulphur auratum antimonii sua jam praestiterunt.

Multum quoque laudatur sequens formula:

Rp. Radicis Althaeae consc. unciam semis
Coq. s. q. aq. f. per ¼ horae
sub finem coctionis infunde
Pulv. foliorum Digitalis purp. grana decem

stent in digest. fervida per ¼ horae co-
lat. unc. octo.
adde.
Extr. Lactuc. viros. grana sex
Oxymel squillit. unc. semis

D. S. Alle 2 Stunden 2 Esslöffl voll zu nehmen, et sic ascendat cum extracto Lact. viros. usque ad drachmam semis, si quidem effectus salutaris contingat.

Si vero jam in acuto necessarium fuerit externe derivantibus agere, praeprimis id valet in chronico; hinc primo sinapismi ad pectus, brachia et suras saepius per diem repetiti, inunctio cum unquento Autenrithi aut epidermite sano aut privato; in quo ulteriori vero casu tartarus emeticus minima addatur dosi, ita ut in unquento simplici uncia semis duo aut tria contenta sint tartari emetici grana, quae cautela bene tenenda est, quia ex unquento Authenriti non raro emesis, imo toxicatio observata fuerit. Ex omnibus vero iterum vesicantia eminent quae non solum naturam altrove occupando derivant, sed etiam propria et quasi specifica sua actione in systema uropoëticum diuresim valdopere exaugent, haec vero vulnera diutius in suppuratione sustineantur, hinc hae plagae sequenti unquento deligentur:

Rp. Unquenti simplicis unciam semis

Pulv. Cantharidum grana decem
Misc. exacte, D. S. Zwey Mahl des Tages damit zu verbinden.

Qui vero timet, ne diutius adhibito cantharidum pulvere stranguria aut inflammatio renum efficcatur, plagas deliget sequenti unquento:

Rp. Unquenti simplicis unciam semis
Pulv. cort. Mezerei grana quindecim
M. in unquentum

aut etiam unquentum basilicum in hunc trahi potest usum.

Si insimul oedema pedum et manuum conjunctum est, inunctiones cum spiritu camphorato et oleo therebinthini multum exspectare sinit. Etiam inunctio olei olivarum in cute a nonnullis laudatur. Si vero hoc oedema ingens increscat in volumen, si summa inflammatio in gangraenam ipsam transitura sese assocearet tunc incisiones magnum afferunt levamen. Tamen ad has recurrere raro necesse erit, sed in frequentissimis casibus vesicantia adhibita et in suppurationem versa, sufficiunt, quum mox per illas plagas tantum abierit seri moles, ut omnis intumescentia in cute dispareat; sic vidi in clinico nostro casum, ubi per istas plagas plus quam viginti mensurarum seri per tres

dies effluxerint, sed aegra tanta deperditione debilitata summum obiit diem.

Nunquam vero obliviscatur medicus, in omnibus hydropis formis primariam tractandi legem esse, ut abdomen liberum reddatur, nam his solum circulatio liberior reddita paroxismorum suffocationis frequentia abreviatur. Quum vero in talibus aegrotis eccoprotica parum saepe praestant, medicus saepe ad purgantia, imo ad drastica transire cogitur. Non desunt exempla, ubi omnia fere remedia talis ordinis, uti in libris enumerantur, in auxilium vocabantur, et mode illud, modo hocce remedium mira praestasse testatur.

Si autem spasmus causa hydrothoracis fuisset, antispasmodica adhibenda esse, reminem fugiet; quamquam morbum huncce ex spasmo oriri vix mihi effingere possum. Huc itaque enumeranda essent remedia antispasmodica, quae vero in omni libro scolastico melius legenda sunt.

Hybrothorax ex vitio organico causatus vix unquam sanabitur in statu eodem quidem arte retineri potest; si vero sedes ipsius cognosci potest, ab paracenthesi multum, imo plurimum sperare licet.

Hucce remedia locum habentia sunt: Mer-

curialia, antimonialia, extractum chelidonii, cicuta, conium maculatum, lactuca virosa et scariola, digitalis, belladonna, aconitum, aqua laurocerasi, et qua solatium aegrorum opium et morphium aceticum. Novissimis temporibus praeparata auri magnam sibi pararunt laudem.

Unum itaque, expositis hisce omnibus, verbis exprimere meum esse puto, nimirum mentionem reddere de statu, qui saepissime sese hydrothoraci associat, et propter quem hydrothorax saepe praetervidetur, intellige nimirum statum pituitosum pulmonum, ex quo respiratio jamjam hydrothorace difficilis reddita, difficilior redditur, qui sanguinis mixtionem internam valdopere mutatam et alteratam ostendit, et qui ob tussim frequentem aegrum vexat, pulmones irritat, circulationem eo magis impedit, et paralysim pulmonum et exinde non raro afferre valet.

Symptomata hujus accedentis morbi cuilibet medicorum nota, quamquam illa paucis indicaverim jam prius verbis, praeponere fas esse puto.

In hoc composito morbo calomel ab initio qua eccoproticum, postea qua systema lymphaticum adgrediens, nitrum cum pulvere gummoso, oxymel simplex et squilliticum, ipecacuan-

ha in refracta dosi, tartarus emeticus (grana quatuor usque ad octo in mixtura), frondes sabinae, si impotentia sputa rejiciendi adsit, aut si expectoratio valdopere silet, polygala Senega (scrupulus unus ascendendo usque ad drachmam unam aut duas), polygala vulgaris et amarella, enula, flores arnicae, marubium album cum tartaro emetico refracta dosi, squilla cum digitali et calomele in pulvere, aconitum, conium maculatum, et demum flores benzoës qua praestantissima remedia nota sunt; kermes minerale et sulphur auratum antimonii in linctu praestanter agunt.

Externe vero praeter prius enumerata derivantia, et cucurbitae cruentae in pectore et juxta decursum spinae dorsi adhibitae, systema nervosum alterant et derivant.

Etiam semina Sinapis albi in toto deglutita, ut systema nervosum morbose alteratum mitigent, nonnulli medicorum laudant.

Litteratura.

De hoc themate uberius conscripsere,

Auenbrugger, inventum novum ex percussione pectoris humani, ut signo abstrosos interni pectoris morbos cognoscendi. Vindob. 1761.

Aurelianus de morbis acutis et chronicis ex editione Halleri Lausann. 1774.

Bischoff's chronische Krankheiten. Wien 1830.

Collin (H. J.), Lactucae silvestris contra hydropem vires. Vindob. 1780.

Corvisart. Versuch über die Krankheiten und organischen Verletzungen des Herzens, aus dem Französischen übersetzt von Rintel. Berlin 1814.

Dumerbrock de morbis capitis atque thoracis. Traj. ad Rhen. 1664.

Frank, praxeos medicae universae principia:

Gaden. Bedeutung und Behandlung der Wassersüchtigen. 1816.

Hause. Ueber die Erkenntniss und Kur der chronischen Krankheiten 1820—21.

Monro. Abhandlung von der Wassersucht und ihren einzelnen Arten, aus dem Englischen übersetzt von Krause 1777.

Richter, specielle Therapie.

Raimann, specielle Pathologie und Therapie. Wien 1833.

THESES DEFENDENDAE.

1. Non qui aegrum originem morbi vel processum organico vitalem hicce locum habentem magnis explicare valet verbis, sed qui ipsum sanat, aegro salutifer.
2. Non in corde sed in pulmonibus ac in sanguine circulationis principium.
3. Repleto ventriculo mentis functio infirma, sed et,
4. Ventriculo vacuo studia non amantur.
5. In nullo fungente garrulitas minus offendit, quam in medico.
6. Nullum datur remedium specifice diureticum.
7. Ophthalmia aegyptiaca contagiosa est morbus ex sphaera vegetativa progrediens.
8. Medicamenta in refracta dosi saepe longe alias exhibent virtutes, quam in dosi plenaria.
9. Tamen virtus medicamenti semper quidquam materiae praeponit.
10. Exploratio an quis, qui sibi manum adtulit, mente captus fuerit nec ne, saepe difficilis est.
11. Operationes semper et sola una methodo instituendas esse, censere ridiculum, nam et in medicina multae viae ad coelum ducunt.
12. In febri puerperali semper quid inflammatorii adest status.
13. Arthritis et haemorhoides sunt morbi affines.
14. Medicus post sectionem saepe doctior quam ante illam.